



58d

E libris  
gymnasio Mauritano Magdeburgensi  
a venerabili  
**Carolo Funk**  
theol. doctore et gymnasii directore  
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

NORDHUSANI APPLAUSUS

SUMMÆ SPEI,

ortis

ad Danubium Viennae

MAXIMIS PLAUSIBUS,

cum

*Potentissimo et Invictissimo Domino,*

DOMINO

**CAROLO VI.**

IMPERATORI ROM, Regi Hispan. Hungar.

Bohem. Archiduci Auftriac, Duci Burgundiae, Stiriac,  
Carinth. etc. etc.

*Imperatori ac Domino nostro Longe Clementissimo*

AUGUSTA CONJUX

**ELISABETHA**

**CHRISTINA**

ex

Antiquissima Guelphorum Domo  
oriunda

Primogenitum Archiducem

&

Tot tantorumque Regnorum HAEREDEM

Auspicatissima Hora

*Idum Aprilis*

**MDCCXVI.**

peperisset,

in solenni

**MAGNIFICI SENATUS,**

Maxim. Rever. Ministerii

aliorumque Eruditorum

Conventu

sub finem Examinis Verni

*d. 30 April. An. praedicti exhibiti*

Joh. Christiano Webero ConR.

AK

\* \* \*

ALVE, læta dies! idus saluete, secundæ.  
**S**quæ tempus findunt terras referantis Aprilis!  
Protulit ista dies, felici fidere lucem.

QUÆ GENVS AVSTVRIACVM pergrato HÆREDE  
beavit.

Jure sed emenso dum sol decessit olympo  
Partûs illuxit tunc demum tempus amœnum,  
Quod radiis major nostro lux surgeret orbi.  
Nonne hæc festa dies? nostra illi altaria fument  
Farre pio & plena NATVM veneremur æcetra?  
O quam avium Regina biceps clangentibus alis  
Nunc exultat ovans vehiturque per æthera lauro!  
Ingeminat plausus divis habitata Vienna,  
Turribus & vallis reboant tormenta superbis,  
Fulmen ut ætherea jaculatur ab arce coruscum,  
Viscera quo terræ late concussa tremiscunt  
Longaque percurrunt ardentis murmura nubes:  
Excitat ille fragor vicinos sedibus omnes  
Suspiciuntque polos, hæc quorsum fulmina tendant,  
Sic tormenta ciunt subito displosa fragore,  
Quorum securas percussio verberat aures,  
Littora quam resonant gaudente sub arce Deorum,  
Lætiæque novæ strepit omnis murmure campus!  
Prospiciens Ister placidum caput extulit undis  
Nectareas cano desillans vertice guttas,  
Miratur strepitus istos causasque requirit,  
Quæ nova jam tanti percellant nuncia motûs;  
Interea hic rumor complet sermonibus aures:

Magna

Magna Deum Soboles Germano nascitur orbi,  
 Filius Augusto, sceptri spes alma Latini  
 Austriacaeque Decus genitum indecibile Gentis,  
 Mox Tritona jubet conchas inflare sonoras;  
 Nec mora! nam ripam clangore replevit utramque  
 Naiadumque cohors hunc circum læta natavit:  
 Hinc ubi clara dedit sonitum tuba, sedibus omnes  
 Profluere suis Dryades facilesque Napææ,  
 Applaudunt cuncti, respondet plausibus echo,  
 Quæ resonare docet montes hæc gaudia circum,  
 Consonat omne nemus, campi fluctusque resulant,  
 Quin armenta gregesque arrectis auribus adsunt,  
 Cœperunt ipsæ motare cacumina quercûs,  
 Hincque parant hilares illæ celebrare choreas,  
 Pars calamis fidibusque canunt, pars carmina dicunt,  
 In numerum alterno pulsant aliæ pede terram,  
 Exultant aliæ, ferit aurea sidera clamor,  
 Ista volat torum celeris pede fama per orbem,  
 Non juga nec montes nec devia saxa retardant,  
 Austria suffollit ridentis lumina vultûs,  
 Silefides Musæ jungunt lætabile sonus,  
 Quois datur imprimis divino ludere versu.  
 Sumite, proclamant, plaudentia carmina vates,  
 Plectræ mælos varium resonanti pectine fingant:  
 Hac quoque voce sonant sylvæque & rura Bohemî,  
 Pannonæ accedunt hilares his agmine factæ,  
 Quos fidi Germani, Itali Belgæque sequuntur,  
 Quid moror? omnis eum sexus canit, omnis & ætas,  
 Auspicium felix Natalis voce precati,  
 Omnibus unus amor plaudenti, consonat ipsum  
 Ornato terræ jam tempus veris amoenum.  
 Frigore bruma quidem permulto sævit ab Arcto;  
 Nubibus incubuit nigrantibus horrida terræ  
 Perpetuisque nives pluviis commiscuit, altas



\* \* \*

Sed nunc temperies subito mutata refulget,  
 Noster ab integro cultu respicendat orbis,  
 Arboribus redeunt detentæ frigore frondes,  
 Fœcundo gravidæ turgent in palmitè gemmæ  
 Quæque diu latuit, nunc nunc qua surgat in auras  
 Herba viam reperit viridis, tellure reclusa,  
 Omnia florescunt, ut sit nova temporis ætas  
 Cunctaque venturæ latentur tempore fortis:  
**NATÆ RECENS PRINCEPS**, non tantum hæc ordine sume.  
 Sed natura TVO inveteras in pectore dotes  
 Inclinare studet cœlesti fomite spirans  
 Magnanimosque movet per singula membra calores,  
 Aspicias ætherei quæ sit concordia cœli  
 Utque TIBI faveat summus Regnator olympi,  
 sol properat magno diffundere lumina nixu,  
 Vultu hilari coelum tempestatesque serenans,  
 Lucida stellarum respondent agmina noctu  
 Innumerasque faces demittunt axe supremo:  
 Passim phænomenis ardens apparuit æer  
 Formisque invetis mirandas ab æthere fulgor,  
 Pondus inest signis, quæ monstrant tempora veris:  
 Quæ spes! Ver Præsens ~~Ætas~~ itecunda sequatur  
 Cum firmata venit maturi roboris ætas.  
 Quem casum portenta ferant, nec quærere profecto,  
**ARCHIDVCI** nato quod sit vigor igneus ajunt  
 Astraque mirantur, quæ Principis ora tenelli,  
 Quis Maieftatis lætas afflavir honores  
 Natura & vegeto radiantes lumine vultus,  
 Eius & in medium Pascha festum incidit ortus,  
 Ut quoque cum Christo palmas Victore reportet,  
 Si qua terox hostis temeraria bella ciebit.  
**FORTVNATE PARENS**, per TE hunc gloria Stirpis  
 Infaurata nitet, crescit semperque manebit,  
 Ipsas excessu superabit vertice nubes  
 Et plures nostrum fructus demitter in orbem

quod

Quod si virtutum redeunt in semina causæ,  
 Quæ spes non surgat nostris in mentibus alma  
 De Nato hæc, summo Austriaci Jovis incrementis  
 Quæ venerabilior, quam Maiestatis origo,  
 Romani quæ summa tenet moderamina sceptri  
 Cultæque Europæ Reges supereminet omnes,  
 Non major partus generoso sanguine cretus  
 Civibus ex voto in lucem fuit editus unquam,  
 Quam clavis summos habet à Majoribus ortus  
 Quis Habsburgorum Saboles caput extulit orbe,  
 Germanis interregnum concusserat urbes,  
 Ut dominaretur series immensa malorum,  
 Crimen erat propriis contentum vivere rebus  
 Invitusque pudor fraudis, jus fasque jacebant:  
 Viribus insignis solus quoque iure valebat  
 Et possessor opes alienas tutus habebat.  
 Has inter turbas, medio flagrante tumultu,  
 Imperii fasces accepit dextra Rudolphi,  
 Qui tulit insignes merita virtutis honores,  
 Armis Heroum cum non præstantior alter  
 Nec tam laude togæ quisquam præclarus adesset:  
 Ille quidem placida medicinam mente gerebat,  
 Et tota prudens annitebatur opum vi  
 Imperii veteris splendorem et jura tueri,  
 Sed labor hinc ingens mirem rata sceptrâ tenere,  
 Perpetuo infestum dum multivulnus alebant,  
 Hinc contra tendens armis audentior ibat.  
 Ibat in adversos collecto robore, Svevos,  
 Perfidiaæ celsis tutantes arcibus æstrum;  
 Sed frustra justo Domino sensere resisti,  
 Sensit idem fatum Badensis fœdere iunctus,  
 Ottocarus Bavarusque infano Marte rebelles  
 Victor erat quoties validam surgebat in hastam,  
 Cum bellis esset tollenda hæc lerna malorum,

Dulcia queis nostris quoque reddidit otia terris  
 Securasque malis toleraris præstitit urbes,  
 Hic Generis primus Summis famam intulit Astris,  
 Quot sunt hinc tanta fulgentia nomina Gentis!  
 Omnia non poterit longo ordine pandere, Musa  
 Nec capit immensas angusta hæc pagina laudes,  
 Est animus tantam ex multis nonnulla referre.  
 Carolus inprimis fulget cognomine Quintus,  
 Magno animo dextraque potens qui gessit habenas  
 Huc geminas oculorum acies, huc flectite sensus!  
 A teneris ipsi mens ardua jugiter arsit  
 Ingeniumque suis vegetum marturius annis,  
 Emicuit factisque statim se præstitit ingens:  
 Nil magis exacuit mentem, nil gratius armis,  
 Obrutuque hæsit rutilis defixus in illis  
 Ardentes volvens oculos, si qua obvia starent;  
 Hinc non segnīs erat Bellator et inclytus ens,  
 Cuncta quis enumeret digne certamina Martis  
 Et quas obfessas vallis devicerit urbes  
 Qui ferme ætatem calidis transegit in armis;  
 Hinc quoties emensus iter terraque marique est  
 Ad res tutandas curis intentus Iberi  
 Teutonizque pari fasces complexus amore,  
 Jam motus dubios Gandavi Italosque revivens,  
 Nec magnis fugit caput obiectare periclis,  
 Appulit et victor Massyli immanibus oris,  
 Quas populare Thetin rariibus semperque recentes  
 Convectare juvat captos & vivere prædis,  
 Cum Tunes Regem folio pepulisset avito,  
 Serenuus auxilio quærentem tuta juvabat,  
 Expulsi causam magno tutatus honore,  
 Urbe expugnata proprio quem reddidit ostro,  
 Vix ipse Alcides tantum telluris obivit,  
 Quid multa! Hercules laudis superare tropæa  
 Suffi-



Sustinuit, nec iconatum for una sefellit.  
 Occiduos regnum dum late extendit ad Indos,  
 Qualis erat Magnus Leopoldus? Non fuit unquam  
 Princeps ingenio pietateque major et armis,  
 Imperii clavum quam primum dextra tenebat,  
 O quae tunc rerum moderatio! lancibus æquis  
 Jura dedisse suis omnis Germania laudar,  
 PELLO DVOS, anagramma refert ex Nomine Divo,  
 Nomine nec tantum, sed re quoque præstitit illud:  
 Namque truce[m] stravit Turcam Gallumque superbum,  
 Sic vere Leopoldus erat cognomine Magnus,  
 Non magis Augustus potuit mactasse Maronem  
 Quam gravibus Musas Leopoldus honoribus auxit,  
 Principis exemplar vivum prudentis & æqui,  
 Et dum dimidium seculi bona scepra gerebat,  
 Quo post Augustum vix est felicior alter,  
 Hoc Nomen summæ virtutis in arce coruscet  
 Nec livor mordax unquam memori eximet avo,  
 Musa ad TE properat nunc, CAROLE SEXTE, canendum,  
 Hinc propiora spei succedunt fulcra futuræ,  
 Quam terris promet tanto de sanguine Natus:  
 Fama patet Summi de gestis parta Parentis,  
 Barcino testis erit, quam CAROLVS acer in armis,  
 CAROLVS invictus quam, nullo territus hoste,  
 Sufferret casus & perduraret acerbos,  
 Sensit atrox Gallus, quin tardus sensit Iberus  
 Hic dextram conjurato cum jungeret illi  
 Immenfis istam cingentes molibus urbem;  
 Quo magis ast hostes variis assulcibus urgent,  
 Telis, tormentis, glâdiis, cæcisque cuniclis  
 Instant munitos citius subvertere muros,  
 Hoc magis igne calet reprimendi CAROLVS istos  
 Firmus in adversis, sicut Marpesia cautes  
 In quam Neptuni frustra furit impetus undis.

Ma:

Magna licet fuerint dubia cettamina pugna,  
 Sæpe tamen medio pugnantium constitit orbe  
 Inflammare viros animis, vimque addere fessis;  
 Quicquid sincera vaderent mente Ministri  
 His exire malis. bona dum fortuna faveret,  
 Ipse tamen coepris hærens fixusque manebat  
 Nescius ante manu commotum ponere Martem,  
 Quam castris hostem victor superasset abactum:  
 Sæpe quidem virtus duris exercita rebus,  
 Nobilis ut magno premitur sub pondere palma,  
 Illamque impugnant ventorum prælia multum,  
 Emergit tamen et tandem bona causa triumphat:  
 Omine nam diro, qui solis imagine Regem  
 Usam gaudebant alias, Gallos et Iberos  
 Terruit insæta Phœbus caligine cinctus,  
 Ut tristem fugerent offensi Numinis iram  
 Diffusi causæ, quæ dextris excutit arma,  
 Res quasi dicta dedit: **TIBI, CAROLE, militat aether!**  
 Attamen effulget major Clementia vultu,  
 Subdito ut in populo iusti Seruator et æqui  
 Audiat, et grato patriæ PATER adsit amore,  
 Mater ab antiqua Guelphorum stirpe celebris  
 Quos numerat Proavos Heroum sanguine cretos?  
 Quos non fama sagi notos super æthera fecit?  
 Quos virtute togæ Divos non orbis adorat?  
 Non aliter fulgent tantæ præconia laudis  
 Quam cum læta ferunt tæcundas jugera messes,  
 Quis igitur verbis NATVM, quis laudibus æquem?  
 Quæ non, his Divis Princeps prognate colendis,  
 Pectore facta spei de TE majoris alamus?  
 Mentibus est nostris exoptatissimus ortus,  
 Qualis ab Eo præfulget cardine splendor  
 Solis et alma dies surgit terrisque coruscat,  
 Pignora fida preces votivas mentis habebis,

In TE cuncta fluant, quæ coelum spârfit in omnes,   
 Qui modo Majores virtutum exempla dederunt,   
 In TE communis patriæ spes cuncta reponit,   
 Maxima cum læta vigeat jam messis in herba;   
 Consilio PATREM referens, virtute manūque   
 Praesidio patriæ partes niteris in omnes,   
 Quos matura modos ponet prudentia rebus!   
 Igns in intrepido TIBI pectore gliscat adulto,   
 Ut sis Marte gravis, si quando bella vocabunt;   
 Nam quia Turcarum rabies immenta nocendo   
 Christicolis nunquam, nisi bello oppressa, quiescet,   
 Nec modo vicinas iterum perterruit oras,   
 Sed quoque mente parat subvertere funditus istos,   
 Qui nomen Christi verbis factisque fatentur,   
 Virtus accrescat generosæ robore mentis,   
 Quæ pœnas meritis inimica ex gente repolcat,   
 **A** favente Deo vires confringat eorum;   
 Successus nunquam deerit felicior ausis,   
 Successusque novos cœlum successibus addet,   
 Quas pœnas tum Turca dabit! quam multa sub undas   
 Arma virum stygias volvet, modo prælia poscat!   
 Interea petimus votiva voce PARENTI,   
 Carolus ut Magnus nostras traduxit in oras   
 Cæsaris imperium, quod maxima Roma tenebat,   
 Sic SEXTVS falces Orientis CAROLVS addat,   
 Romanis quos vis Turcarum hostilis ademit,   
 Semper victrici redimitus tempora lauro,   
 Dives aquis posthac lætum ut caput efferat Ister   
 Et fluvijs inter gerat omnes Regis honorem,   
 Colla jugo Turcæ ne qua ulla parte premantur,   
 Tendat in adversos hostes Deus æthere pugnans,   
 Ut nihil ex bellis, nisi tristia læta reportent,   
 Donec relliquias poteris delere nocivas,   
 Viribus ut nunquam reparatis Turca resurgat:

Aspera tum positis mirentur tempora bellis;  
 Fama TVVM Nomen solis radiantis ab ortu  
 Alis promta feret, rapidoque simillima vento  
 Solis ad occasum penetrabit gloria rerum,  
 Donec erit virtus laudi, laudaberis usque.  
 Macte! tenella cito circumdate tempora lauro,  
 Quo pax atque fides vigeat sincera per orbem  
 Nostris hinc longe propulso finibus hoste,  
 Templaque pacifera ramis velentur olivæ!  
 Quare nascantur circum cunabula flores,  
 Quos non frigoribus Boreas, non æstibus Auster  
 Urat, perpetuo sed veris honore vigeant,  
 Ros pluat æthereis vitæ nova balsama guttis,  
 Nectare Divino plena Hebe pocla ministret,  
 Ut PRINCEPS vivat viridique effloreat ævo,  
 FILIVS HIC videat faustos salvosque PARENTES  
 Ipseque sospes avi Leopoldi compleat annos,  
 Quin fortunatus superet compluribus illos,  
 Viribus integris veniat canam usque senectam.  
 Serus et in coelum redeat, populisque regendis  
 Extento spatio felicitis temporis adsit!



78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.  
coll. nicht vergeben!



Sb.

1077

R.40



ogl 102

1716

110

NORDHUSANI APPLAUSUS  
SUMMÆ SPEI,

ortis

ad Danubium Viennae  
MAXIMIS PLAUSIBUS,

cum

Potentissimo et Invictissimo Domino,  
DOMINO

CAROLO VI.

ROM, Regi Hispan. Hungar.  
Duci Austriae, Duci Burgundiae, Stiriae,  
Carinth. etc. etc.

Domino nostro Longe Clementissimo

GUSTA CONJUX

SABETHA  
CHRISTINA

ex

ssima Guelphorum Domo  
oriunda

genitum Archiducem

&

umque Regnorum HAEREDEM

Auspicatissima Hora

Idibus Aprilis

MDCCXVI.

peperisset,

in solenni

GNIFICI SENATUS,


axim. Rever. Ministerii

aliorumque Eruditorum  
Conventu

ub finem Examinis Verni

o April. An. predicti exhibiti

Christiano Webero ConR.



AK

